



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de
Coloniae Agrippinae, 1684

24. Capitulum sede vacante, an succedat in visitatione exemptorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

QVÆSTIO XXIV.

Capitulum sede vacante an succedat in visitatione exemptorum.

SUMMARIUM.

- 1. Episcopus visitat tanquam sancta Sedis delegatus.
- 2. Quæ iure speciali ad Episcopum spectant non transeunt in capitulum.
- 3. Defuncto Præfato an Capitulum succedat ei in iurisdictione ei à iure delegata.
- 4. Ratione mora & necessitatis receditur à regulis iuris.

Qvæstio hæc valde dubia, ut testatur Abbas & Io Francisci, ille in ca. cum olim col. 3. vers. quinto dubitatur de maiorit. & obed. hic tract. de potest. Capituli sede vacante par. 1. quest. 7. num. 7. & 8 & quest. 10. Feder. consil. 290. Probabilior est iententia, quod non possit visitare.

Ratio est, quia Episcopus obit munus huiusmodi visitationis iure speciali tanquam Sedis Apostolicæ delegatus d. Clem. attendentes de statu Monach.

Quæ autem iure speciali ad Episcopum spectant, non transeunt in Capitulum sed tantum quæ iure proprio Episcopali Abb. & Io. ubi supra Card. d. Clem. attendentes in pr. num. 6. quest. 4. Quæ tamen conclusio maius exposcit examen, pendens ab hoc articulo utrum defuncto præfato capitulum succedat in iurisdictione à iure ei delegata, qua in re distinguitur, an sit utile expediri, & an mora periculum sit allatura si forte expectaretur successor, ut de inquisitione hæreseos in exemptos quod in Capitulum transit, & similibus exemplificari solet quæ omnia fuse & doctè perantur ab eodem Io. Francisci d. tract. de potest. capit. sed vac. par. 1. quest. 10.

Cui addo, propter moram necessitatem ve à communibus iuris regulis recedi solitum, quod supra in alienatione rerum Ecclesiasticarum ostendimus eod. lib. quest. 1. sub finem. Sunt etiam in argumentum huius quæstionis quæ antea à nobis in eadem materia allata sunt quæ non iuvat hic

repetere lib. 2. quest. 2. vers. dubium autem.

* *

29 2

QVÆ-